

Orémus.

Oratio

Dómine Jesu Christe, Fili Dei vivi, puritatis amátor et custos, obsecrámus imménsam cleméntiam tuam: ut, sicut ministério Angelorum sanctum Thomam Aquinátem cíngulo castitatis cíngere, et a labe cóporis ac ánimae præserváre fecisti: ita ad honórem et glóriam ejus bene **¶** dicere, et sancti **¶** ficáre dignérис cíngula ista; ut, quicúmque ipsa circa renes reverénter portáverit ac tenúerit, ab omni immunditia mentis et cóporis purificétur, atque in éxitu suo per manus sanctórum Angelorum tibi digne præsentári mereáatur: Qui cum Patre et Spíritu Sancto vivis et regnas in sácula sáculórum.

R. Amen.

Et aspergantur aqua benedicta.

30

## BENEDICTIO ET IMPOSITIO SACRI NUMISMATIS B. MARIAE V. IMMAC.

vulgo Médaille miraculeuse

Propria Congr. Missionis

(Approbata a S. R. C. die 19 Aprilis 1895)

Sacerdos benedicturus sacrum Numisma immaculatae Virginis Mariae Conceptionis, superpelliceo et stola alba indutus, dicit:

V. Adjutórium nostrum in nōmine Dómini.

R. Qui fecit cælum et terram.

V. Dóminus vobiscum. R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

Oratio

Omnípotens et misericors Deus, qui per multiplícies immaculátæ Mariæ Vírginis apparitiónes in terris mirabília júgiter pro animárum salúte operári dignátus es: super hoc numísmatis signum, tuam bene **¶** dictiónem benignus infúnde; ut pie hoc recoléntes ac devóte gestántes et illius patrocinium séntiant et tuam misericórdiam consequán-tur. Per Christum Dóminum nostrum. R. Amen.

Deinde Numisma aspergit aqua benedicta, et ipsum postea imponens dicit:

**Pro uno vel una**

Accipe sanctum Numisma, gesta fidéliter, et digna veneratióne proséquere: ut piíssima et immaculáta cælórum Dómina te prótegat atque défendat; et pietatis suæ prodigia rénovans, quæ a Deo suppliciter postuláveris, tibi misericórditer ímpetret, ut vivens ac móriens in matérno ejus ampléxu felíciter requiéscas. Amen.

**Pro pluribus**

Accípite sanctum Numisma, gestáte fidéliter, et digna veneratióne prosequímini: ut piíssima et immaculáta cælórum Dómina vos prótegat atque défendat; et pietatis suæ prodigia rénovans, quæ a Deo suppliciter postulavéritis, vobis misericórditer ímpetret, ut vivéntes ac moriéntes in matérno ejus ampléxu felíciter requiescátis. Amen.

*Inde prosequitur:*

Kýrie, eléison. Christe, eléison. Kýrie, eléison.

Pater noster **secreto usque ad**

V. Et ne nos indúcas in tentatióne.

R. Sed líbera nos a malo.

V. Regina sine labe origináli concépta.

R. Ora pro nobis.

V. Dómine, exáudi oratióne meam.

R. Et clamor meus ad te véniat.

V. Dóminus vobíscum. R. Et cum spíritu tuo.

Orémus.

**Oratio**

D ómine Jesu Christe, qui beatíssimam Vírginem Maríam matrem tuam ab origine immaculátam innúmeris miráculis claréscere voluísti: concéde; ut ejúsdem patrocínium semper implorántes, gáudia consequámur ætérrna: Qui vivis et regnas in sǽcula sǽculórum. R. Amen.

31

## BENEDICTIO NUMISMATUM S. BENEDICTI

### Propria Ordinis S. Benedicti

Sacerdos benedicturus numismata sancti Benedicti, dicit:

V. Adjutórium nostrum in nómine Dómini.

R. Qui fecit cælum et terram.

E xorcízo vos, numísmata, per Deum **✚** Patrem omnipoténtem, qui fecit cælum et terram, mare et ómnia, quæ in eis sunt. Omnis virtus adversárii, omnis exércitus diáboli, et omnis incúrsus, omne